

Q. 534, 2/

B. m.



DECANVS
ORDINIS PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
IOANNES FRIDERICVS
HILLER
PROF. POES. ORD. ET ALVMNOR. EL. EPHOR
H. T. CONSTITVTVS IMPERIALI AVCTORITATE
COMES PALATINVS
PHILOSOPHIAE ATQVE ARTIS POETICAE
CANDIDATIS

S. P. D



DECANVS

ORDINIS PHILOSOPHICI

IN ACADEMIA WITTEMBERGENSI

IOANNES FRIDERICVS

HILLER

PROF. PONS. ORD. ET ALIUMQ. ET. EPHOR.

H. S. CONSTITVTVS IMPERIALI AUCTORITATE

COMES PALATINVS

PHILOSOPHIAE ARTIS PRAELECTOR

CANDIDATVS

1752



VTILITAS POETARVM PRAESTAN
TIOR IN PHILOSOPHIA QVAM HI
STORICORVM



adhuc in magna fortunae uarietate versatur Ari-
stoteles, non in Academiis modo Pontificem
comiter uenerantibus, sed etiam ab hoc ob-
sequio alienis. 1) Multi, Christianum Thomasium secuti, ue-
hementer illum uituperant, quamuis eius scripta legerint
nunquam. Alii, qui diligentius euoluerunt, assentiuntur
Leibnitio, Aristotelis monimenta *maximae utilitatis in uita
esse, si in praestans ingenium atque usu excultum incidant.* 2)

A 2

Alii

1) u. Launoius de uaria Aristotelis fortuna, in academia Parisiensi, et,
qui hunc edidit, Elswichius de uaria Aristotelis fortuna in scholis Pro-
testantium.

2) uol. IV. Syllog. Vhl. ep. 157.

Alii cum Gesnero, restitutus post renatas literas regnauerit-
ne, an eiectus sit, turpius, dubitant. 3) Fuerunt autem in Sta-
giritae libris, qui temporum ferrent omnium puncta, in his
rhetorica ac poetice. Poetice saltem praeclarissimis est fen-
tentiis referta, quae, sicut philosophum spirant ubique, sic au-
reum flumen, quod Cicero in familiae Peripateticae miratur
auctore, magna copia profundunt. Quo maiorem laudem
meretur eruditissimi Curtii diligentia, qua hunc artis pul-
cherrimae fundum hominibus quoque nostris commendauit,
interpretatione Germanica, politissimis animaduersionibus lo-
cupletata. Sunt enim ab hoc sapientiae parente quaedam
breuius dicta, more suo, ob eamque causam praeter opi-
nionem multorum. In his facile moueat suspicionem com-
paratio poesis atque historiae, ubi de meritis earum in
philosophiam disputatur. Poesi dat principatum, grauiori
quippe, atque ad rerum diuinarum humanarumque scien-
tiam accommodatori. *Καὶ φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον ποιη-
σις ἰσορροπίας ἐστίν.* 4) Quod iudicium rectene se habeat, an per-
peram, uideamus

Qui duas uult res comparare, harum naturam probe
norit, quo facilius, utra utri praestet, perspiciat. Sagacio-
rem se gerit iudicem praeceptor Alexandri, quam ut huius
pru-

3) Ifag. in erud. uniu. §. 732.

4) Poetic. c. 9.



prudētiaē memoriā deponat. Hic non sola capitur forma carminis externa, quae uerficatorem potius, quam poetam, probat, atque Herodotum censet historici retenturum personam, quamuis ille uersibus scribatur. Nam caput est historiae ueritas rerum narratarum, ne quid falsi dicatur, aut ueri quid reticeatur, non oratio soluta. Ad ea magis philosophus attendit, in quibus poeticum uersatur ingenium, ac fides auctoris rerum gestarum. Illud, quid fieri debeat, aut saltem possit, idque uel necessaria ratione uel probabili, anquirat, multaque fingendo res facit illustriores. Haec, quid factum sit, exponit, seu genere dicendi simplice, seu, causis interpositis, diligentius. Τούτω διαφέρει ὁ ἱστορικὸς, καὶ ὁ ποιητὴς, τῷ τὸν μὲν τὰ γενόμενα λέγειν, τὸν δὲ, οἷα ἂν γένοιτο. Sed haec differentia tanti non uidetur, ut in augendis philosophiae commodis poesi principatum tribuamus. Intercedunt enim tot homines sapientissimi, nec quicquam in philosophia praestabilius ducunt, memoria temporum. Certe si Diodorum Siculum iudicem summus, plura sapientiae disciplinae monumentis superioris aetatis debet, quam uatum commentis. Nam principio operis probaturus, magnam scriptoribus historiae, praesertim uniuersae, ab omni genere hominum referendam gratiam, sic eos cum conditoribus carminum confert. Εἰ ἢ τῶν ἐν ἄδου μυθολογία, τὴν ὑπόθεσιν πεπλασμένην ἔχουσα, πολλὰ συμβάλλει



ται τοῖς ἀνθρώποις πρὸς εὐσέβειαν ἢ διαιοσύνην, πότῳ μᾶλλον ὑπελη-
 πτέον, τὴν προφήτην τῆς ἀληθείας ἰσοείαν, τῆς ὅλης φιλοσοφίας δίοει μη-
 τρόπολιν οὔσαν, ἐπιτκευάται δύνασθαι τὰ ἔθνη μᾶλλον πρὸς καλοκαγα-
 θίαν 5) Si de inferis fabula, argumentum continens effi-
 cium, hominibus multum confert ad pietatem et iustitiam,
 quanto magis existimandum, historiam, ueri uatem, ac
 totius quasi philosophiae metropolin, mores informare ad
 omnem honestatem decusque posse

Nec uero, quid historiae debeant, amatores sapientiae
 aut nesciunt, aut ingrata obliuione delent. Nam, rerum no-
 titiam gestarum fundamenti loco ponendam, uno ore in ipso
 limine disciplinae suae praecipunt. Illos enim non praeter-
 it, sicut obseruatio diuturna, notandis rebus, caeteras fece-
 rit artes, sic omnes doctrinae, in qua uersentur, partes iis-
 dem fuisse originibus generatas, inuestigatis postea cau-
 sis, artificiosaque forma inducta. Hos ipsos temporum do-
 cuit usus omnium, quo longius acumen philosophandi ab
 rerum memoria discesserit, eo minus illud aliis instituendis
 profuisse. Egregie Baco tam, quid in historia generis
 omnis desideretur, ut philosopho seruiat, exponit, quam
 laudes illius iustas celebrat. *Ego sic plane statuo, historiae
 usum erga philosophiam esse maxime radicalem et fundamen-
 talem. Talem intelligo philosophiam, quae non abeat in fumos spe-
 cula-*

5) Bibl. hist. I. 2.

*culationum subtilium, aut sublimium, sed, quae efficaciter opere-
tur, ad subleuanda uitae humanae incommoda.* 6) Quod graui-
ter iudicatum sapientes si libentius sequerentur, hoc nomen in-
figne iure suo gererent, nec scripta sua, Plautina formula, tot
inaniis araneisque opplerent. Illa tamen philosophiae pars,
quae regit actiones hominum, ac mores uirtutibus ornat, anti-
quitate atque exemplis plurimum proficit. Hic, qui non scho-
lae consulit, sed uitae, Thucydidis illud in succum sangui-
nemque uertet, ac, praeterita cum futuris consimilibus
iungens, historia utetur pro philosophia, speciminibus illu-
strata luculentis. *Θουκυδίδης περί ιστορίας λέγει, ὅτι καὶ ἱστορία φι-
λοσοφία ἐστὶν ἐκ παραδειγμάτων.* Atque haec est illa *ἱστορία τοῦ
βίου*, seu historia uitae, quam nuncupat ille. 7) Prudentia
uero ciuilis rem publicam confinget Platonice, nisi, mo-
nitore Liiuo in praefatione, salubre illud ac frugiferum e
cognitione rerum decerpat, omnisque exempli documenta,
in illustri posita monumento, intueatur, inde sibi suaeque
rei publicae, quod imitetur, capiat, inde foedum in-
ceptu, foedum exitu, quod uitet. Cumque philosophi sit,
praeter caeteros, causas rerum uidere, earumque progres-
sus et quasi anteceffiones non ignorare, illos anteponit hi-
storicos, qui factis annectunt consilia, interioresque animi
recessus

6) de augm. scient. II. 2. opp. p. 47.

7) apud Dion. Hal. in *τέχνη* p. 65.

recessus nudant, Dionis Cassii more, sic se tractantis. Καὶ γὰρ καὶ παιδευσις ἐν τούτῳ ταμάλιστα εἶναι μοι δοκεῖ, ὅταν τις τὰ ἔργα τοῖς λογισμοῖς ὑπολέγων, τὴν τε ἐκείνων φύσιν ἐκ τούτων ἐλέγχει, καὶ τούτους ἐκ τῆς ἐκείνων ὁμολογίας τεκμηριῶ. Id ad instituendam uitam mihi uideretur utilissimum, si quis facta consultationibus subiiciens, illorum rationem ex his demonstrat, has ex illorum documentis confirmet. 8) Adeo lux historiae per omnem philosophiae campum longe lateque funditur

Nihilo tamen minus sapiens artis arbiter poeticae poetis in philosophiae auxilio et copiis principatum defert, ab iisque plures fructus expectat. Nec rationes defunt, quibus arbitrii sui probet aequitatem, quarum illa quidem sane quam luculentam redditur, quod historia res singulares exponat, poesis argumentum, quod tractet, describat uniuerse, ob eamque causam ad philosophiam, quae res informet generatim, propius accedat. Ἡ ποίησις μᾶλλον τὰ καθόλου, ἢ δ' ἴσως τὰ καθ' ἕκαστον λέγει. Ecquae tandem sunt illa, quae primae dux sapientiae τὰ καθόλου siue generalia uocat. Ἐστὶ δὲ καθόλου μὲν, τῷ ποιῶν τὰ ποι' ἅττα συμβαίνει λέγειν, ἢ πράττειν, κατὰ τὸ εἰκός, ἢ τὸ ἀναγκαῖον, ὅν σοχάζετο ἢ ποίησις, ὀνόματα ἐπιτιθεμένη. Est autem uniuerse dictum, quo declaratur, quatenam contingat alicui dicere aut facere, secundum uerisimile aut necessarium, quo poesis, nominibus imponendis,

8) XLVI. 35.

dis, collineat. Generalibus aduersantur singularia, de quibus idem sapientiae parens sic praecipit. Τα δὲ καθ' ἑκάστων, τὴν Ἀλκιβιάδης ἐπραξεν, ἢ τί ἐπαθεν. Ad singularia pertinet, quid fecerit Alcibiades, aut quid fuerit perpessus. Inde statim liquet, non omnia carminum genera in ministerio philosophiae eodem numero haberi, sed comoediam ac tragoediam caeteris anteferri. Verba faciat ipse, suamque sententiam pronuntiet. *Ἐπι μὲν οὖν τῆς κωμωδίας ἤδη τοῦτο δῆλον γέγονεν· συστήσαντες γὰρ τὸν μῦθον διὰ τῶν ἐκτότων, οὕτω τὰ τυχόντα ὀνόματα ἐπιτιθέασι, καὶ οὐχ ὥσπερ οἱ ἰαμβοποιοὶ περὶ τῶν καθ' ἑκάστων ποιῶσιν. Ἐπι δὲ τῆς τραγωδίας τῶν γενομένων ὀνομάτων ἀντέχοντα.* Ac de comoedia quidem iam hoc est in numerato. fabula enim per uero similia ducta compositaque, sic quaelibet nomina personis indunt, neque, ut Iambici, singularia perstringunt. Sed in tragoedia uera nomina retinent. Tam sobrie Aristoteles hic existimat, ut operae pretium me facturum putem, si commentatio mea paullisper moretur. Primo quidem nominis discant Wolfiani obtrectatores, haud nouam philosophiae definitionem ineptiarumque plenam ducendam, qua scientia eorum, quae possunt esse, quatenus esse possunt, habetur. Iam Stagirites hanc comprobauit notionem, negans, illam, quae sint ac fiant, tradere, sed generatim, quibus de causis, et, quo modo potuerint illa euenire ac debuerint, monstrare. Sic, ut hoc utar, Olisiponensem

B

nensem



nensem terrae motum sapientiae cultor historicis enume-
 randum relinquit, illis maxime, qui se prouidentiae diui-
 nae gerunt ministros, ipse, quid sit, quod solum mo-
 ueat, quo pacto concuti possit, ut oppida corruant, flu-
 minaque in contrarias partes fluant, studiosius anquirat.
 Qua inuestigatione ueri atque inquisitione sagacitatem tan-
 topere acuit, ut Pherecyden illum, Pythagorae magi-
 strum, sequatur, quem Cicero potius physicum habet, 9)
 quam diuinum, quod, cum uidisset haustam aquam de iugi
 puteo, terrae tremorem dixerit instare, aut Anaximandrum,
 qui monuit Lacedaemonios, ut, urbe tectisque relictis, ar-
 mati in agro excubarent, quod terrae motus impenderet
 tum, cum et urbs tota corruiet, et ex monte Taygeto ex-
 trema montis, quasi puppis, auulsa. Nec mirum, Aristote-
 lem hanc philosophiae conformationem insignitam assensu
 passim approbasse. Nam fuit a Pythagora iam dudum im-
 pressa, qui philosophiam finiit *γνώστω τῆς τῶν ὄντων, ἢ ὄντα*
ἔστιν. Quae noticia nihil offenderet, si Iac. Thomassii
 ingenio illustraretur, ex originibus historiae phi-
 losophicae, ubi subtiliter obseruat, *τὰ ὄντα* magis ea,
 quae possint esse, quam, quae sint, attingere. Quod
 si ex hac uocis potestate de poetarum meritis in phi-
 losophiam maioribus est dicendum, nihil dico amplius,
 caussa

9) De diuin. I. 50

caussa dicta est. Excipio statim cum philosopho mordaces poetas, qui liberum in aduersos hostes iambum strinxerunt. Hi enim singulos adoriebantur uibrantibus sententiis, Archilochi impetu, huius operis primi auctoris, ac mox perfectissimi 10) Is qua ratione in ueris hominum moribus exagitandis sese tractarit, dolor demonstrat, quo Lycamben focerum eiusque filias uulnerauit, ut res ad restim rediret. Plura amicis sapientiae ferunt adiumenta, qui, moderatione Horatiana, numeros animosque exprimunt Archilochi, non res et agentia consceleratos uerba, nec focerum quaerunt, quem uersibus atris oblinant, nec famoso carmine sponsae laqueum nectunt. 11) Huiusmodi sale, qui uitiiis aspergitur, non uitiosis, philosophia conditur morum, flagitiorumque stultitia perfricatur. Longius autem uagatur comoedia, imitatione uitae ciuilibus, speculo consuetudinis, imagine ueritatis. Sed noua a prisca, huiusque similiore media, apud Graecos iure suo fecernatur. Vetus enim iamborum fabricatoribus in eo respondit, quod uirus acerbatis in nobiles atque humiles, probos atque improbos, euomuit, quo multitudinis gratiam captaret, cui ne ipsi quidem semper pepercit, cum se ne deorum quidem ludibriis abstineret. Quam se effrenata iactarit licentia, Socrates sensit, ac magnitudine animi gloriosa contempsit, irri-

B 2

10) Vellei. hist. I. 5

11) Horat. ep. I. 19

sus ab Aristophane in Nubibus. 12) Irritarat prius istius stomachum grauitate sua, atque histriones κερτόμους, καὶ ὑβρισταίς, καὶ ὑγιῆς λέγοντας οὐδὲν, mordaces, contumeliosos, nec quicquam sani dicentes, spreuerat. Quam seueritatem merito temperat aequior Aristoteles, atque Aristophanis ingenio delectatur, Cratetis tamen modestiam maioribus effert laudibus, finibus philosophiae magis uicinam. Τῶν Ἀθηνησῶν Κράτης πρῶτος ἤρξεν, ἀφείμενος τῆς Ἰαμβικῆς ἰδέας, καθόλου ποιεῖν λόγους ἢ μύθους. Crates, Atheniensium primus, iambica forma dimissa, uniuerse coepit sermones facere ac fabulas. 13) Quid non tribuisset Lycei doctor comoediae nouae, hanc si ac Menandrum, eius principem, uidisset. Ea quam fuerit sapientiae studiis finitima, a Donato, ac potius Euanthio discamus. 14) *Nouam comoediam reperere poetae, quae argumento communi magis et generaliter ad omnes homines, qui mediocribus fortunis agunt, pertineret, et minus amaritudinis spectatoribus, et eadem opera multum delectationis, afferret.* Latinorum scena cum nouae seruiert Graecorum comoediae, fructus in sapientum scholis fert eosdem, quamuis iis urbanitas Terentii libentius arrideat, quam Plautina petulantia. Nostra patrumque memoria ut quisque gloriae ac uirtuti maxime studuit,

12) Aelian. II. 13.

13) c. 5.

14) proleg. Terent.

studuit, ita quisque maxime nomini aliorum famaeque prospexit. Ita uero comparata comoedia, quae inspicere, tanquam in speculum, in uitas omnium iubet, atque ex aliis sumere exemplum sibi, sapientiam liberalius instruit, ac historia. Haec nullum nobis exemplum ridiculi uitae generis proponit, quod omnes eius lineas ducat, per tot hominum stolidorum specimina sparsas. At ingenium comici, quod inchoatum illa reliquerat, politissima arte perficit. Hic poesis, ut pictura, uarias contemplatur formas, quibus in unam imaginem colligendis, spectatorum admirationem moueat. Pone tibi ante oculos, quotquot rerum gestarum memoria in prospectum producit, auaros. Horum nullus, quibus sollicitudinibus, suspitionibus, formidinibus auri sacra fames angatur, perinde nudabit, atque Euclio Plautinus. Praebet igitur theatrum bellum sapientiae comoedia, aliena dementia cautiore, dummodo Grotiano iudicio spectetur, aliterque Terentium pueri legant, aliter senes. Nathanem Chytraeum, Morhofius testatur, in animo habuisse, omnes Terentianas fabulas, notis morum atque animi commotionum insignitis ornatas, in lucem edere. Cuius propositi conficiendi Morhofius ipse periculum fecit, ex *Adelphis*, persuasus, in his ludis *plus latere characteris uirtutum, uitiorum, officiorum, quam in omnibus philosophiae mo-*

ralis praeceptis. 15) Quid pulchrius effigie constantis
 amatoris in Andria, *obstinate dat operam, ut me a Glyce-*
rio miserum abstrahat. Quod si fit, pereo funditus. 16)
 Quanta fluctuantis animi tempestas in re trepida. Nunc,
 quid primum exequar. Tot me impediunt curae, quae meum
 animum diuersae trahunt, amor, misericordia huius, nuptiarum
 sollicitatio, tum patris pudor. Hei mihi, incertum est, quid
 agam. Haecenus Pamphilus, uenustus, sed infelix. Excel-
 sae uero conuersiones fortunae e tragicis uberius cogno-
 scuntur, quam rerum scriptoribus gestarum, ad animi per-
 turbationes expurgandas, metum maxime et commiseratio-
 nem. Quo consilio quid in philosophia grauius, quid prae-
 stabilius. Hoc enim robur animi, hoc lumen, quod nos
 seiungit a uulgo, ac duo uitae mortalis bona parit eminent-
 tissima, ut nobis ipsi imperemus, nihil admiremur. An-
 nales quidem, sententiis ex interiore philosophia sumptis
 referti, dominationis impotentis principio secundiores inter-
 dum res ac diuturniorem impunitatem memoriae pro-
 dunt, cum repentina felicitatis commutatione. Equidem
 Tiberium contueor nunquam, quin, quam sint in reliqua
 omnium rerum copia miseri principes profligati, perspi-
 ciam, totusque exhorrescam. Quos sensus alit illud Taciti,
 adeo

15) Polyhist. III. 9. T. I. p. 617. sq.

16) Act. I. Sc. 5.

adeo facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium uerterant. Crescit horror Socratis praecepto, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus et ictus, quando, ut corpora uerberibus, ita saeuitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur. Postremo flagitiosas detestor opes, legens, Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasque ipse poenas fateretur. 17.) At haec nihil ad tragoediam, quae ex antiquis monumentis argumentum ac nomina petit, sed multa affingit atque assumit, quo res splendidior euadat, nec sceleribus obrutus Tiberius in scenam prodeat, sed heros ac princeps, culpa erroris humani afflictus. Longe terribilior desperatio Phaedrae, Hippolyti innocentiam, suas calumnias confitentis, sibi que consciscentis manus, apud Senecam. 18) *O mors, amoris una sedamen, uel, si mauis, folamen, mali, O mors pudoris maximum laesi decus, confugimus ad te, pande placatos sinus, audite Athenae, tuque funesta pater peior no-uerca.* Omnium teterrima uociferatio Thesei. *Pallidi fauces Auerni, uosque Taenarei specus, impium rapite, atque mersum premitte perpetuis malis.* Itaque philosopho philosophus dicto audiens, historiam nequaquam negligit, foccum tamen et cothurnum maioris facit, amplioris utilitatis causa.

17) Tac. Ann. VI. 6.

18) Hippol. Act. V.



caussa. Attamen caue, putes, Aristotelem, comoedia tragoediaque laudibus extollenda, de caeteris carminum generibus detrahere. Magnopere profecto sapientiae fautor se deciperet, si uellet epicos longe ac retro ponere, in quibus Homerus prima comoediae fundamenta ac tragoediae iecit, ipso Stagirite monitore, ubi poesis origines aperit. 19) Huic enim tribuit τὸ σπουδαῖον, seuerum illud, graue ac ferium, quod philosophis praecipue conducit, non solum, quia se gesserit praeclare, sed actus etiam fabularum imitatione felici expresserit. Laudi eidem ducit, principem ad habitum comoediae concipiendum extitisse, non uituperatione usum, sed irrisione. Brevi. Ο Μαργείτης ἀνάλογον ἔχει, ὡς περ Ἰλιάς καὶ Οδύσσεια πρὸς τὰς τραγωδίας, οὕτω καὶ οὗτος πρὸς τὰς κωμωδίας. Quam rationem habet Ilias atque Odysea ad tragoediam, eam ad comoediam Margites conficit. Talia qui de Homero praedicat, non potest sapientibus auctor fieri, ut illum abiciant ac deponant. Hi potius, quo diutius poetam lectitabunt, in Dionysii Halicarnassei sententiam pedibus ibunt, δι' ἐκεῖνον ἢ τε ἄλλη παιδεία πάντα παρῆλθεν εἰς τὸν βίον, καὶ τελευτῶσα φιλοσοφία, per illum et eruditio caetera omnis in uitam migravit hominum, et numeris absoluta suis philosophia. 20) Neque enim ab Achille facta in Iliade per omnes diducit rationes, uelut historicus, ἀνδρείαν magis ipsam, atque hero-

is

19) c. 4. 20) T. II. p. 126. coll. Horat. I. ep. 2.

is inuicti firmitudinem animi perfectam concelebrat. Con-
 simili prudentia Virgilium rexit ille, ne Aeneam e fide ca-
 neret historica, sed pii principis ac magnanimi insigne pro-
 deret exemplum, hac ut simulatione Augusti uirtus passim
 cum omni posteritate adaequaretur. Ille uero demum ex his
 duumuiris profecerit, qui non grammaticum egerit, sed sapi-
 entiae magistrum. Qua tandem uia. Hanc tibi Seneca mon-
 stret, 21) non sine causa questus, quae philosophia fuerit,
 factam philologiam. Decerpi illud egregium Virgilii, *fugit irreparabile tempus*. Quid hic custos Latini sermonis.
 Obseruat, Maronem, quoties de celeritate dicat temporum,
 uti uerbo fugere, additque locum similem, *optima quaeque
 dies miseris mortalibus aevi prima fugit*. Alia spectat phi-
 losophus cum sapiente Hispano. *Nunquam Virgilius dies
 dicit ire, sed fugere, quod currendi genus concitatissimum est,
 et optimos quosque primos rapi. Quid ergo cessamus nos
 ipsi concitare, ut uelocitatem rapidissimae rei possimus aequa-
 re. Meliora praeteruolant, deteriora succedunt*. Perge ad
 reliqua, nec poenitebit, ut ipsis cernas oculis, plures et
 maiores in sapientiae studio e uatibus, quam historicis,
 commoditates percipi, si non totum modo carmen percur-
 ras, sed etiam singulas partes, uel minimas, dispungas

Satis de argumento, quod ipsius poesis natura atque hi-
 storicae sumministrat. Pluribus non uicitur Peripateticae fa-
 miliae caput, quamuis ea potuisset acumine ingenii ac iudi-

C

cii

cii facile reperire. Nec mei patitur muneris ratio copiam longiorem. Alias poësin, indagatricem animorum, cum historia, quae pragmatica uocatur, contuliffem, poeticeam dicendi rationem cum historica, illud cum primis carminis genus, quod didactici nomen habet, et proxima cognatione cum philosophia continetur, consideraffem diligentius, insignibus documentis aetatis nostrae illustratum, idque subtilissimis in locis, cautiones denique nonnullas praecepiffem, quibus errores poetarum populares, ac philosophi persona indigni piaeque fraudes fugiantur. Sed haec persequi, institutum prohibet, ad quod tamen aggredi non possum prius, quam dubitationem minuero, causae poetarum infestissimam. Multis enim mira uidebitur poetarum in circulis sapientum praerogatiua, qui Nasonis professione eos urgebunt, exire in immensum fecundam uatum licentiam, cum nihil in philosophia ueritate prius esse, nihil antiquius debeat. Sed hi erunt fere, qui expertes humanitatis, quid poetae fingant, quo modo fingant, non capient. Si poësis ea comminifceretur, quae fieri non possent, quae ratione uacarent, eam a philosophiae campo procul abesse iuberem. Sed aut uerum ipsum amplificant ornando, aut effingunt uerosimilia, memores Aristotelii decreti. Πιθανόν ἐστὶ τὸ δυνατόν. Τὰ μὲν οὖν μὴ γέγονενα οὕτω πιστεύομεν εἶναι δυνατά. Τὰ δὲ γέγονενα, φανερόν, ὅτι δυνατά· οὐ γὰρ ἂν ἐγένετο, εἰ ἦν ἀδύνατα. Quod fieri potest, est ad persuadendum idoneum. Quae igitur non sunt facta, ne credimus
quidem

quidem fieri posse. Facta autem liquido fieri possunt. Neque enim, si fieri non possent, euenissent. 22) Huiusmodi fingendi libertas a philosophi dignitate non abhorret, sed per omnes philosophiae partes latissime patet. Hic mihi probandi fecit otium Koehlerus, in diatriba, de fictionum heuristicarum indole et speciebus, in mathesi, doctrina morum, et iure naturae et gentium. Nonne e singularum consideratione rerum notiones informamus mentis opera. Quoties res natura aptas colligatasque disiungimus cogitatione, quo melius singula percontemur. Quam commode similitudines comparamus, ad instituendos animos mouendosque. Quam iucunde commentitiis opinionibus, quas hypotheses nuncupamus, a falso ad uerum deducimur. Num Leibnitiis tot inuentis rem publicam literatam auxisset, tot ingeniosis suspicionibus attentionem excitasset omnium, nisi, quod ipse profiteretur saepius, spiritus ille poeticus atque igneus uigor mentis sollertiam incitasset. Maneat igitur, carminum conditores, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid perniciosum, plenius ac melius sapientiae cultori, Thucydide ac Tacito, dicere

Quanto maioribus est praedicationibus prosequenda maiorum prudentia nostrorum, qua uinculum commune inter poësin ac philosophiam firmiter astringendum putarunt. Plena sunt scripta publica huius academiae cohortationibus, praesertim Philippi, quibus communis Germaniae

22) c. 9.

C 2

praece-

2K II d 85




praeceptor philosophiam, in magnis Dei bonis numerandam, commendavit, ac poetarum carmina praestantissimae disciplinae causa, in deliciis habenda. Plenae animadversiones in Hesiodum monitis, ut in evoluendis poetis adversaria duo faciamus, quorum alterum res fructuosas, alterum dictionis lumina comprehendat. Sed nullum manifestius documentum studii in hanc concordiam doctrinae atque eruditionis, communibus honoribus, quibus sapientiae studiosos ac poematum illi macerant. Horum mos institutumque me quoque hortatur, ut siue poeices laureas, siue Philosophiae dignis capitibus imponam. Agite, qui liberales, pro ut par est, colitis artes, uestra apud me nomina rite profefsi, honestissima cupiditate, praemia diligentiae iusta, Prid. Kal. Mai. publica auctoritate tribuenda, petite, quo sua stet literis dignitas. Iungite vota nobiscum religiosissima, ut Deus, auctor omnis humanitatis, castam philosophiam verboque suo consentaneam tueatur, artium decus, quo rei sacrae et civilis integritas fulcitur, saluum atque incolume posteris transdat, ac iuventuti PRINCIPIS nostri, in quo Saxoniae spes recumbit, sapientiam suam comitem adiungat, quo nobis reddat Augustum, qui, sicut ipse amavit literas, sic homines literatos fovit munificentia, ac terras suas fortunis locupletavit, omnis Europae meritis admirationem. P. P. Kal. Ianuar. CIO IO CCLXVI

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII ACAD. A TYPIS

ULB Halle 3
002 108 02X

21





Q. 534, 2/

B. m. 7

II d
85

DECANVS
ORDINIS PHILOSOPHICI
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
IOANNES FRIDERICVS
HILLER
PROF. POES. ORD. ET ALVMNOR. EL. EPHOR
H. T. CONSTITVTVS IMPERIALI AVCTORITATE
COMES PALATINVS
PHILOSOPHIAE ATQVE ARTIS POETICAE
CANDIDATIS

S. P. D

